



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Utenburga I. Ottenbura, in Guntiana valle, ad Guntium amnem situm, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

1. Hæc *Gertrudis* prima conventus inchoatrix, plures focias assumpt, donec fieret numerus tredecim sororum. Hæc fundatrix Sacri, & habitationum ampliatrix 25. annis cum summa feveritare, sub matris nomine, sororibus de manuum suarum labore viventibus præfuit. Obiit anno Domini 1400. ætatis suæ sexagesimo, prima quæ in consecrato ejus loci cæmiterio humata est. Successerunt ei in hac gubernatione ad hæc nostra usque tempora, honestæ ac prudentes mulierculæ.

2. *Anastasia* à *Westerstetten* nobilis Domina.

Wunderkingen.

3. *Anna* à *Wunderkingen*, oppido non procul à fontibus Danubii sito.

4. *Clara Hefina.*

5. *Catharina Eques.*

6. *Adelheidis Ufswaltina* ex Blabyrensi vicino admodum oppido nata: cujus temporibus anno videlicet 1475. cepta est ædificari ea Domus satis elegans & ampla, in qua his temporibus habitant 21. sorores.

7. *Agnes Ganserina.*

8. *Corona Savrix* ex *Wellenburgo* nata, quæ tandem decessit anno Domini 1545. cum multis annis prius resignasset.

9. *Euphrosine Ethnica*, Patricia Ulmenfis, quæ obiit anno 1531.

10. *Magdalena Megeheertina*, ex *Ehingo* nata, eligitur anno Domini 1538. multa passâ à *Wirtembergensibus*, à quorum principe, omnia, quæ Cænobioli fuerunt, eo quod à religione sua pristina discedere, & literas suas dare nollet, occupata & violenter usurpata sunt, per annos undecim, quibus nunc feliciter recuperatis, hoc adhuc præsidet corrente jubileo, ætatis suæ anno 60.

UTENBURGA I. Ottenbura, in Guntiana valle, ad Guntium Lamnem situm, olim oppidum, & castrum Comitum Illegoviz, nunc verò Monasterium præpotens ac pulcherrimum, ordinis D. Benedicti: fundatum est sub Honorio Pont. Max. 12. Monachis, in honorem Dei Opt. Max. principisque Apostolorum Petri, invictissimi que Martyris Alexandri, à Sylacho, Francorum duce, Alemanniæ præfecto, ac Illegoviz Comite, ejusque conjugæ Er-miswinda,

miswinnda; alibi Ermentrude, anno Christi 764. Diploma primæ foundationis tale habetur adhuc in eo ipso Monasterio.

Anno incarnationis dominicæ 764. regnante Carolo Magno glorioso Rom. Imp. ego Sylachus, ex Alemannia, vir nobilis ac præpotens, & uxor mea Erminiswinnda cum filiis nostris Gosberto, in sancta Viennenfi Ecclesia Episcopo, Tottone clerico, simul & Dagoberto laico, in Domate proprio, quod divisum ac separatim liberalissime à cunctis hæredibus contraximus, & possidemus, in loco, qui vocatur Uttenburrha, secundum Ecclesiasticam institutionem, & iudicium leges, in Dei nomine construimus, atque fundamus. Omnia igitur prædia vel mancipia, totamque familiam nostram omnipotenti Deo & beato Apostolorum principi, nec non invictissimo Martyri S. Alexandro, ab hinc, in legitimam ac perpetuam dotem, pro incolumitate utriusque vitæ, & pro remedio animarum, parentum nostrorum præfato monasterio, delegamus, eo pacto eaque videlicet conditione, ut nulli homini liceat hanc donationem aliquatenus infringere, aut unquam commutare: sed ad victum fratribus & vestitum summo, & vero Regi Deo, inibi militantibus, perpetualiter deserviant. Si quis autem invasor (quoque absit) aut Tyrannus hanc nostræ donationis confirmationem irruerit, Anathema sit à Deo, & mors super eum æterna veniat, vivensque in infernum, per omnia secula cruciandus descendat, Amen, Amen, Amen. Hi sunt testes, qui viderunt hæc & audierunt: Canto, Hilti, Ulleno, Landolphus, Fridebertus, Hargoldus, Rupertus, & aliæ plures tam nobiles quam ignobiles.

Privilegium à Carolo Magno Imp. & ejus conjugæ Hildigarda datum Monasterio Uttenburrhano.

In nomine Dei patris omnipotentis, & filii & Spiritus sancti. Carolus à Deo ordinatus Augustus, Magnus, pacificus. Rex
Kkkk 3 Franco-

Francorum. Imperator Romanorum gubernans Imperium. Quoniam principem ac defensorem Ecclesiarum nos fecit Dominus, ne ejus ingrati esse videamur munificentiae, servitium ejus augmentare, Ecclesias multiplicare, super inceptis & constructis bene ac opportune, ne posthac destruantur, potestati regali convenit tuitionem impartiri, unde quicquid ad loca sanctorum damus vel concedimus, hoc nobis ad mercedis augmentum vel stabilitatem regni nostri pertinere confidimus. Quapropter notum sit omnibus principibus nostris & fidelibus, qualiter nos ad petitionem dilectissimæ conjugis nostræ Hildegardis, illustris Reginae, Abbatem nomine Tottonem, ex Monasterio, quod vocatur Utenburra, cella nova, cum hominibus unâ & rebus ipsius Monasterii, sub nostro Mundiburdio, & defensione, propter illicitas malorum hominum infestationes, accepimus & retinemus. Igitur à præsentis die coram principibus nostris decernimus, & præcipiendo præcipimus, ut nulli de majoribus atque minoribus, liceat prædicto Abbati, aut hominibus ipsius Monasterii, tam ingenuis, quam servientibus, vel in rebus, quæ ad ipsam Casam Deilegitime aspicere videntur, inquietare, aut calumniam facere præsumat. Sed diximus liceat eum una cum jam facto Monasterio sub nostra tuitione quietum vivere ac residere, ac si aliquæ causæ adversus eum, aut homines ipsius Monasterii surrexerint, quas infra pagum, cum fidelibus suis definire non potuerint, in præsentiam nostram referrentur, & ut omni regno nostro, & fidelibus nostris pateat, nos præfatum locum, non avaritiæ, vel questus, sed pro amore Dei, & animæ salute, atque defensionis causâ, in nostram potestatem suscepisse. Hinc à præsentis die ac deinceps fratribus ejusdem Monasterii, autoritate nostra damus hanc licentiam, & concedimus, ut post discessum Tottonis Abbatis potestatem habeant inter se eligendi Abbatem, quem meliorem secundum regulam S. Benedicti, & aptiorem nostro servitio invenire, potuerint: nobisque & successoribus nostris præsententur, quatenus Regia sublimentur autoritate & confirmentur. Investitus siquidem per nos, liberum hunc, ab omni exactione curiali vel

vel munere permittimus abire. Consecrationem & sui Monachorumque concedentes, ubi à religiosis duntaxat Episcopis intra provinciam ordinari poterunt, liberrimam habere. Amplius præfenti sane Abbati ejusque successoribus Monachis, & hominibus ac negotiatoribus præfati Monasterii, qui à nostra autoritate, frequentia populi, ad reliquias sacras venientes inibi statui-
mus, hanc libertatis gratiam concedimus, ut ubicunque in regno nostro, ad negociandum perrexerint, sive in civitates, vel in oppida, seu pontum navesque petant, sive venientes seu redeuntes, sine exactione telonii, cum pace securi transeant & pergant. Item placuit nostræ providentiæ, in Tottonis præfati Abbatis potestate ponere, ut sapientum usi consiliis, ex his, quos inter potentes seculi noverint esse, æquitatis & fidelitatis amatores eligant suis competentibus locis advocatos, & defensores, si opus habuerint: Sin verò, nos nostrosque successores justissimos & certissimos defensores habeant. Sed nullus hominum sibi hanc potestatem præsumat vendicare, vel quasi hæreditariam, aut aliquo jure debitam invadere, nisi quem Abbatis & Monachorum consulta approbata nolunt admittere: eo tamen tenore, ut post fidelitatem Regio jure nobis nostrisque successoribus, Abbati tria juret Sacramenta. Primum, quod secundum posse & nosse justus & utilis Advocatus in homines & res prædicti monasterii existat. Secundum, quicquid placitando acquisierit, id est, injuria Bannorum, vel satisfactione temeritatum, tertia sibi parte retenta, duas reddat Abbati: & nullum advocatum, vel exactorem præter se, nisi Abbatis permissione constituat. Tertium quod nihil privati muneris vel servitii à quolibet loco sive curte, seu à villicis, vel à cellariis, quasi ex debito & statuto jure exigat, ac mansiones & pernoctationes uspiam frequentare caveat. Ad unum quemque verò locum (quem Abbas ad placitandum ordinaverit) cum duodecim equis & totidem viris advocatus semel tantum in anno adveniat, nisi pro aliqua necessitate ab Abbate sæpius advocetur, ac tunc pro loci qualitate, ab Abbate honestè suscipiatur, & procuretur. Infra locum Monasterii nullum placitum nisi rogatu vel voluntate Abbatis

Abbatis unquam statuat, nullum de militari familia, sine iusta sociorum suorum deliberatione damnet, vel aliqua injuria coerceat & offendant: qui militares vel alio nomine ministeriales optimo jure perfruantur, quo Fuldenses vel Augienses potiuntur. Amplius nullum domus servientem sine consensu Abbatis, ad iudicium, vel ad damnum cogat. Quando autem hujus commisi vel in homines, vel in res (quod vulgo Ballmunde dicitur) extiterit: statim sine mora & sine præjudicio (nisi citò respicerit) advocatia, cum omnibus commodis, sine spe recuperationis carebit. Et ut hæc firmiter credantur, & diligentius conserventur, manu propria subterfirmavimus, & annulo nostro insignire iussimus. Ego Ludebertus Archicappellanus recognovi, & subscripsi. Data anno incarnationis Domini 769. Actum Maguntia in Pentecoste, in Dei nomine feliciter, Amen.

Catalogus Uttenburrha in Monasterii Abbatum & gubernatorum talis extat:

1. S. *Totto* Comes Illegovia Sylachi fundatoris filius, qui una cum patre construxit hoc Monasterium, in honorem S. Martyris Alexandri filii S. Felicitatis, vir pius & vitæ innocentia celebris: eligitur Abbas Utthenburranus, anno Christi 764. præfuit annis 53. Obiit anno Christi 817. decima tertia Calend. Decembr. ætatis suæ anno 80. Sepelitur in medio Ecclesiæ, sed Iligrinus decimus septimus Abbas transtulit eum sub majus altare. Ejus inventum est in subterraneis templi locis, anno Christi 1522. tale Epitaphion saxo incisum:

Notum sit cunctis, presentibus atq; futuris,

Hic tumulata patris venerandi membra Toronis.

2. *Mylo* eligitur anno Christi 817. vir sanctus & nobilis cum virtute, tum genere, præfuit annis 47. decessit ex hac mortali vita anno Christi 864.

3. *Neodegarius* Episcopus Augustanus, ex Abbate hujus loci factus mox eodem anno quo accipit, Abbatiam reddit. De quo plura lege in catalogo Episcoporum Augustanorum. Isti enim Episcopatu laudabiliter aliquandiu præfuit.

4. *Wig-*

4. *Wiggarius*, vel *Widogerus* à Neodegario Episcopo Abbas constituitur anno Domini 864. ubi cum 24. annis laudabiliter præfuisset ac profuisset, avocatus est ad Augustani etiam Episcopatus gubernationem anno 888. ubi cum præfuisset 14. annis, retenta Abbatia etiam Utenburghensi. Obiit doctus, humanus, ac maxime affabilis præful, & Abbas, reverendus Helvetiorum Apostolus, anno Domini 902.

Helvetiorum
Apostolus.

5. *Birtulo* nobilis vir, ingenuus & fidelis administrator eligitur anno Christi 902. præfuit annis 39. Obiit anno salutis Christianorum 941.

6. *Adalbero* non Abbas, sed Comes quidam, S. Ulrici Episcopi Augustani, è sorore nepos, præficitur Abbatie anno Christi 941. in castro Dillingensi apud S. Ulricum pium, ac optimum Antistitem Augustanum: Quamdiu præfuerit ignoratur.

7. *Udalricus* Episcopus Augustanus declaratur Abbas hujus loci anno Christi 971. Is obtinuit confirmationem privilegiorum Monasterii, & novas etiam immunitates, apud Orthonem Imperatorem: fuitque in omnibus rebus fidelis pater hujus Cœnobii, cui præfuit per unum penè annum, & resignat gubernationem, declaratque alium Abbatem anno Christi 972. Effecit idem Episcopus, ut nulli magni mures sint in hoc Cœnobio, imò ut & aliunde importati vivere non possint, sed illi-
Cœnobium
murebus
carens;

co expirent ac intermorianur. Quà vero industria id factum, ignoratur. Eodem beneficio affectisse dicitur totum Episcopatum suum Augustanum.

8. *Rudungus* egregius auctor & locupletator Monasterii, eligitur anno Christi 972. præfuit laudabiliter annis 28. moritur anno Christi milesimo.

9. *Dangolphus* elegitur anno milesimo, præfuit annis 12. Obiit anno 1012.

10. *Sigebertus* eligitur anno 1012. præfuit annis 16. Obiit anno Christi 1028.

11. *Embricus* vir bonus & prudens eligitur anno 1028. præfuit 22. annis. Obiit anno 1050.

12. *Eberhardus* Abbas etiam in Campidoro & Degernsehe, S. Quirini Cœnobio perspicacissimi ingenii Monachus, & timore divino plenus, eligitur anno 1050. præfuit annis novendecim. Obiit anno Domini 1069.

13. *Rocelinus* vir summæ humilitatis & innocentia eligitur anno 1069. præfuit & profuit annis 13. valedixit huic mortali vitæ anno gratiæ 1082.

14. *Adelhelmus* non solum Utenburranus Abbas, sed et Wintgartensis, Petershufanus, Neresheimianus, & Faucensis; eligitur ab Utenburenribus, anno Christi 1082. præfuit annis 12. & decessit ex hac vita anno 1094. Is disiecto & everso vetere, novum Monasterium fecisse, & id egregiè illustrasse dicitur.

15. *Gebehardus* utilis Monasterii gubernator & pater optimus, eligitur anno 1094. præfuit annis novem. Adiit solem qui occasum nescit, anno gratiæ 1103. tertia Calend. Octobr.

16. *Henricus* successit Gebehardo quidem in prælatura & dignitate, sed nequaquam in virtute. Erat enim ut ætate juvenis, ita moribus stultus, qui timore Dei vacans, & dilapidatione rerum & bonorum, plurima damna intulit Monasterio, iccirco Deus eum diu præesse non passus est: electus enim anno 1103. Obiit statim anno sequenti.

Abbas Cœnobii
S. Georgii
anno & vi-
ginti anno-
rum.

17. *S. Rupertus* adductus è Cœnobio S. Georgii, quod est in sylva nigra, eligitur anno Christi 1104. præfuit annis uno & quadraginta. Obiit anno Christi 1145. anno ætatis suæ 120. Fuit egregius Reformatore & locupletatore Monasterii Utenburenfis, item & renovator ac illustrator: nam quod Adelhelmus incepit, S. Rupertus perfecit, adjuvantibus eum Udalrico Constantiensi, & Hermannò Augustano Episcopis, dedicavit templum, in festo Omnium sanctorum. Cùmque antea tantum nobiles in hoc vixissent Monasterio, iste nobilibus humili genere natos etiam adjecit, non habens respectum generis, sed virtutis, pietatis & eruditionis. Addidit etiam & assumfit in partem.

Moniales
Conjuncti
Monachi

tem Monasterii sui nobiles Dominas, quibus eam partem habitandam dedit, in qua hodie adhuc est præfecti seu advocati domus. Hæ Moniales opulentæ egregiè dotarunt hoc Monasterium. Sub hoc Abbate Ruperto, præfuit advocatiæ Wernerus Comes de Schwabeck, fundator Cœnobii Urspergensis, ad Mindulam seu Mindelium fluvium siti.

18. *Ilyngrinus* de Monasterio S. Ulrici ex Augusta Vindelico- rum assumtus, eligitur anno Christi 1145. Oeconomus & paterfamilias longe optimus, qui Monasterium Utenburhanum plurimum ditavit, quia eo tempore ad corpus S. Ruperti maximus erat hominum, totas etiam villas donantium, concursus. Ad hujus sepulchrum sedebat jugiter Salcho, frater quidam Utenburhanus, egregius prædicator laudum & virtutum S. Ruperti, cui cogitationes etiam fratrum dicebat fuisse notas. Hac praxi maximas opes consequuti sunt Utenburhenses Monachi. Proficiscitur Abbas iste anno gubernationis suæ septimo, unâ cum Conrado Augustano Episcopo Romam, anno videlicet 1154. dumque est in eo itinere, conflagravit interim calamitosissimò incendio magna pars Cœnobii Utenburrensis, quod damnum tamen ipse domum reversus, egregiè correxit & refarcivit. Anno decimo septimo suæ gubernationis transtulit corpus S. Totonis, & anno vicesimo primo ex Colonia etiam sanctorum quorundam martyrum corpora apportavit. Donatur privilegiis Monasterium hoc, ad Ilyngrini petitionem, anno Christi 1152. ab Eugenio Papa, & anno 1171. à Friderico Barbarossa Imp. Et cum laudabiliter præfuisset, & profuisset Monasterio, per annos jam triginta tres, redactus est venerandus Senex, occulto Dei judicio ad insaniam, duobus annis ante mortem, quibus habuit Vicetenentem & administratorem, priorem Gernodum; Obiit tandem anno Christi 1180. recuperatis prius sensibus, quàm ex hac vita in alteram discederet.

19. *Bernoldus* eligitur anno Christi 1180. præfuit annis 13. & tandem anno Christi 1193. resignat Abbatiam propter sen-

LIII 2 suum

suum defectum. Sub hoc Bernoldo Henricus Marchio de Rumpferg, & ejus uxor Udhildis donarunt Monasterium Utenburrhanum vineis, ac aliis quibusdam redditibus annuis.

20. *Conradus* antea Prior, vir humilis, castus, benignus, hospitalis, in dandis elemosynis largus, in servitio Christi strenuus, in doctrina præclarus, in orationibus assiduus, eligitur in Abbatem anno 1194. consecratur Augustæ ab Udalschalco Episcopo, præfuit fideliter & religiosissime annis serè 36. Primo anno gubernationis iterum misero periit incendio Utenburrha, valde inclementem habens vulcanum, sed post undecim annos egregiè restituitur, templumque dedicatur anno Christi 1204. Donatur privilegiis anno 1219. ab Honorio Papa, & Friderico Secundo Imp. Rom. Obiit anno Christianæ salutis 1229.

21. *Bertholdus* juvenis quidem ætate, sed prudentia & probitate morum maximus, & multis etiam senibus antefendus ejusdem Monasterii antea Camerarius, consecratur Gislingi ab Aysterenfi Episcopo Henrico, absente & peregrè profecto Augustano. Præfuit annis 19. ab anno gratiæ 1226. ad annum usque 1248. quo propter deficientes corporis vires, Abbatia gubernationem volens resignavit, & pastorem baculum alteri commendavit. Hic Bertholdus impetravit à Gregorio Pontifice confirmationem privilegiorum omnium de novo, & super id Infulam, ac cætera ornamenta pontificalia, anno Christi 1242. Fuit ergo iste primus hujus loci Abbas infulatus, cujus tale extat Epitaphion.

Præfens præfatus hic vestem pontificatus

Obtinuit primus hujus: memore prece cujus.

22. *Waltherus* integerrimus & optimus pater eligitur, anno Christi 1248. confirmatur ab Innocentio IV. Obiit quarto gubernationis suæ anno, videlicet anno 1252.

23. *Henricus* præfuit anno 1252. confirmatur ab Alexandro quarto, præfuit sex annis. Obiit anno Christianæ salutis 1258.

24. *Sigefridus* successit Henrico, præfuit annis 8. utiliter. Obiit anno 1266.

25. *Hen-*

*Chronologia
Monasterii
Utenburrhanum
S. III*

25. *Henricus* de Bregantia Baro eligitur anno Domini 1266. præfuit annis 30. & decessit ex hac mortali ad immortalem vitam anno Christi 1296.

26. *Conradus* eligitur anno 1296. Circa hæc tempora plane erat collapsa vita regularis, quæ postea reformata & restituta est ab Abbate Gulielmo. Præfuit Conradus annis 16. Obiit anno salutis 1312.

27. *Henricus* eligitur anno 1312. præfuit annis decem. Obiit anno 1322.

28. *Henricus de Nordbolez* eligitur anno 1322. præfuit uno & triginta annis, ac cessis ex hujus vitæ turbulentissimo mari, ad æternæ salutis portum, anno 1353.

29. *Joannes de Altmanshofen* eligitur cõmuni omnium voce anno Christianorum 1353. præfuit annis 18. Obiit anno salutis 1371.

30. *Udalricus de Kneringen*, eligitur anno 1371. tempore Gregorii undecimi, à quo confirmatur: præfuit annis septem. Obiit anno gratiæ 1378.

31. *Joannes Hocheher* eligitur anno Christianorum 1378. tempore Urbani Sexti præfuit annis 12. commutavit hanc mortalem cum meliore vita anno 1390.

32. *Henricus* eligitur anno Christi 1390. tempore Burcardi Antistitis Augustani, præfuit octo annis, & aliquot mensibus. Obiit anno 1399.

33. *Joannes de Affstetten* eligitur anno 1399. & infra anni spatium Abbatiam resignat: fuit vir pius & religionis observantissimus.

34. *Joannes Ruffingerus* cellarius antea ad S. Ulricum, in Augusta Vindelicorum: eligitur anno Christi 1400. præfuit quatuor annis, & revocatus Augustam Abbas ad S. Ulricum designatur. Is quia pontificali mitra usus erat, apud Uttenburrum, noluit illa etiam deinceps in suo Monasterio carere: Ergo sibi suisque successoribus pontificalia illa ornamenta, à Pontifice Max. decerni & confirmari fecit.

35. *Eggo Comes de Schwabeck* egregius paterfamilias, & utilis gubernator Monasterii. Vir omnino magnanimus, eligitur

LIII 3 anno

anno 1404. Joanne ad S. Ulricum redeunte. Impetravit confirmationem à Ruperto & Sigismundo Imperatoribus, fuit annis 12. incidit in acerrimas contentiones, cum quibusdam nobilibus Monasterio incommodare volentibus, qui tantum effecerunt, ut Abbas anno Domini 1416. in lecto suo cubans noctu interficeretur; à propriis suis ministris, & per fenestram è summo conclavi deturbaretur, ne existimaret aliquis dolo eum aut vi esse interentum. Hactenus fuerunt omnes nobiles, & sublimi genere nati Abbates, qui sequuntur, ex media plebe assumti sunt: excepto Gulielmo à Lufchnau.

Abbas trucidatur à famulo suo.

36. *Joannes Schedler* Campidonensis vir religiosus, doctus & procerus, eligitur anno Christi 1416. præfuit annis 32. Obiit anno Christi 1448.

37. *Jodocus Niderhoff* Memmingensis cepit regnare una cum Joanne anno Christi 1443. fuerat antea præpositus ad S. Nicolaum Memmingæ: & quia civis erat Memmingensis, attulit ille secum, ad Cœnobium Uttenburrhanum, domum suam ac majorum suorum intra muros urbis Memmingensis sitam: præfuit annis decem. Obiit anno Christi 1453.

Mindelheim.

38. *Joannes Graus* ex Mindelheimio celebri Fronspergiorum oppido natus, vir pius, & Monasterio isti utilissimus gubernator, eligitur anno 1453. Confirmatur & consecratur à Petro Cardinali Augustano, præfuit 22. annis. Obiit anno Christi 1475. ipsa die Innocentium.

39. *Wilhelmus de Lufchnau* vir nobilis, elegans, hilaris, facundus, ingeniosus & rebus gerendis exercitatissimus, præpositus antea in Rodt Monasterio, propè Dincckelspuhelum sito, quam præposituram constituerat hic Abbas in Hirsaugia. Is inquam constituitur Abbas à Petro Cardinali Augustano, præfuit annis quatuor: Obiit anno Domini 1479.

40. *Nicolaus Röslein* eligitur anno Christi 1480. præfuit annis 12. Obiit anno 1492.

41. *Matthæus Akherman* seu Agricola Constantiensis, eligitur anno 1492. præfuit annis octodecim, depositus & exauthoratus

Chronologia
Monasterii
S. III

thoratus est anno 1510. Obiit autem postea anno Domini 1512.

42. *Leonhardus Wideman* aut *Salicetus*, patria *Dillingensis*: vir pius, doctus, integer, castus, munificus ac liberalis in eruditos omnes, & in pauperes omnes: cepit Monasterio præesse vivente adhuc *Matthæo*, anno nimirum 1508. præfuit annis 38. Obiit ad lacum *Æronium*, in pago *Supplingensi* procul à *Cænobio* propter bellicos tumultus à *Smalchaldici* fœderis affectis contra *Carolus V.* excitatos exulans, anno Christi 1546. vidit maximo animi dolore misere lacerari sua ætate *Cænobium* suum à seditiosis rusticis. Vidit postea *Cinglianorum* furores commiuentium, & confringentium omnia, quæ ad excitandum timorem Dei, in imperitiis erant à vetustis hominibus erecta, & instituta. Idem *Moniales* instituti *Franciscani*, è *Memmingiaco* per eundem furorem ejectas, pio excepit hospitio, ædificans illis *Cænobiolum*, supra suum *Monasterium*, in eadem *Guntiana* valle, & in sinistra *Gunczii* fluvii, quod *Ellerianum* à multitudine populi arboris appellavit. Ejus tumulum ego à successore rogatus talibus honoravi *Epitaphiis*, cum anno Domini 1547. ad *Comitia Augustana* è *Lindavio* iter facerem.

Supplingen

Ellerianum Cænobium

*L*ubrica contemnens mundana gaudia vitæ
*E*t fugiens quicquid læxi, deusq; vetant.
*O*mnibus ornatus supera virtutibus aule,
N ulli non charus, non reverendus homo.
*H*umanus turba pater & defensor egenæ,
*A*ptus ad ornandas religionis opes.
*R*erum sacrarum mire studiosus amansq;
*D*octus in æthereis in lætissq; libris
*V*ivus in ade locum sacra sibi legerat istum
*S*ed voto invidit *Parca* maligna pio.
*V*ndiq; dum furit hostis enim, & te seditios
*V*iribus invadunt *Carole* *Quinte* suis
*I*n *Supplingensem* procul hinc secedere pagum,
*D*e sacra & propria cogitur ipse domo!
*E*t vita tristi hic superam concessit ad arcem,

M. unda-

M undanis dicens rebus ubiq, vale.

A st ego successor tuus o Leonharde cliensq,

N e quis me ingratum dicere possit ovans.

V irtuti meritisq, tuis, animaq, pudica,

S axum hoc pono pia dexteritate tua.

V iva pater Leonharde poli cum principe Christo,

In cujus requies est tibi parca sinu.

Aliud Epitaphion.

L uvida quem tristi mors sustulit atraq, vult V

E vita, in medio hunc terra habet ista sin V

O ssa sed hic tantum requiescunt more decent I

N amq, anima ad Superos venit, & astratene T

H ac erat Abbas Leonhardi, religion E

A ugusti imprimis, laudibus & toride M

R egia quotquot habet caelorum principis aut A

D icatur placido hinc pectore semper hyme N

V ivit enim in Christo sine curis, atq, tumult U

S antus cum Sanctis scilicet usq, viri S

Aliud Epitaphion.

Legebat hanc sedem Leonhardus Wideman Abbas,

Defunctis membris ossibus atq, suis.

Sed mors invida, que cunctis grassatur in oris,

Non est hic sanctum passa cubare virum.

Supplinga innocui requiescunt ossa parentis

Spiritus aeterni vivit in arce Dei.

Dexteritas animi, pietas candorq, fidesq,

Vix fuit in priscis par similisq, viris.

Castus erat miris, pius hospitibusq, benignus,

Doctrina imprimis omnis & artis amans.

D. Leon-

D. Leonhardo Videmanno optimè merito, pio, casto, docto ac integerrimo Abbati: suo velut Alteri parenti, suorumque antecessori P. Pietatis gratitudinis ac honoris ergo Gaspar Kindelmannus Helvetius.

43. *Gaspar Kindelmannus* ex *Raperswyl* Helvetiorum oppido ad lacum *Tigurinum* natus, ætate juvenis, prudentia senex, pietate magnus, corpore parvus, omnibus egregium Abbatem decen-
 tibus virtutibus eximie conspicuus, & omnium favore ac amore dignissimus: eligitur anno Christi 1547. in die conversionis Pauli, cum ageret annum ætatis suæ tricessimum secundum: Præstiter hoc adhuc currente anno 1551. construens ex imis fundamentis novum idemque magnificentum ac sumtuosum templum.

Raperswyl.

Hinc det felices cælorum conditor annos,

Et fortunet eum, contegat atq. beet.

WALDSEEHENSIS præposituræ (quod est Canonico-
 rum regularium S. Augustini Cœnobium in Svevis, & Dapiferorum Walburgensium ditio-
 ne, intra mœnia oppidi *Walzensis*, ad amptum, lacum, unde nomen & oppido & Cœnobio contigit, situm) ejus inquam fundator fuit, anno virginæ partus 1181. Illustrissimus Svevorum princeps *Fri-
 dericus II.* qui (ut ibi scriptum legitur) inter mortales candidissime vivens, hujus sacræ ædis ac Canonice congregationis omnium prima fundamenta jecit, moxque ætatis suæ 31. anno, sub *Innocentio tertio*, Apostolici gregis pastore in Romanorum Regem confirmatus, deinde ab *Honorio Papa* in Imperatorem coronatus est: & cum per triginta tres annos imperatoria sceptrâ tenuisset, feliciter in Christo obdormivit. De hac fundatione tale extat meum Schediasma Heroicum:

Wal-

*Fri-
 dericus
 II. Impe-
 rator.*

*Waldensem hanc adæm pietatis amore, secundus
 Construxit Fridericus, avorum à stirpe Svevum:
 Imperii princeps, Rex, & Mavortius heros,
 Ille nepos magni, & Mavortis Casaris ejus.
 Qui ruffa barba toti orbi est nomine notus.*

M m m m

Sed